

www.e-rara.ch

**Epitome Galeni Pergameni operum in quatuor partes digesta, pulcherrima
methodo universam illius viri doctrinam complectens**

Galenus

Argentorati, 1604

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-5504>

Sanctissimo D. N. P. III. P. M. Andreas Lacuna Secobiensis miles sancti Petri salutem plurimam
dicit.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EPITOMES OMNIUM GALENI
OPERUM SECTIO SECUNDA.

SANCTISSIMO D. N. P. III. P. M. ANDREAS
LACUNA, SECوبيENSIS, MILES
S. PETRI, S. P. D.

QUI UT MEDICAM ARTEM EXTERMINENT, EAMQUE NON ESSE EX
usu mortalibus persuadeant, summum diem ita hominibus esse à Deo præfinitum contendunt,
ut non modo non produci, sed ne quidem ante illam metam ullo pacto vita intercipi queat, ij, Bea-
tissime Pater, præterquam quod falsa & inania loquuntur, omnem ferè humanam providen-
tiam è medio tollunt. Quocirca tametsi scophanta id genus, infestissimi sint Medicinæ ipsius hostes, eam-
que asiduis saucient vulneribus, eius tamen sunt ope & presidio curandi, cum gravissimo laborent ani-
mi morbo, correptique phrenitide, aut alia quavis animi alienatione, talia insanire cogantur. Infixit
autem hanc opinionem complurium mentibus, quod legitur apud prophetam Iob, Deum constituisse ter-
minos homini, qui præteriri non possent: id quod sanè est verissimum. Deus quippe & natura non ho-
minibus tantum, sed etiam animantibus universis (sub quibus comprehendo stirpes) constituerunt, cens-
quendam suæ durationis atque periodi apicem, ad quem singula pervenire possent, si omnes occasiones effu-
gerent, quæ interitum præcoccem accersunt. Cum autem hic vitæ cursus in singulis animalibus, ab in-
sito vitalique humore proficiatur, portionem cuius in prima generatione non omnia fuerunt parem sor-
tita, merito, mea quidem sententia, illa durabiliora erunt, quibus eius copia largior obtigerit: vitæ ve-
rò brevioris, quibus humoris insit parcior. Quemadmodum igitur si conservemus oleum purissimum, sem-
per illi inardebit flammula, quandiu oleum ipsum duraverit: extinguetur autem, ipso oleo absumpto: pa-
ri etiam ratione, si humorem nativi caloris fomitem, immunem ab omni corruptela tueamur, non desun-
gemur vita, donec ipse prorsus nos deserat: quod ubi acciderit, produci amplius dies nostri non possunt: ac
proinde is erit verè ultimus vitæ terminus, quem nimirum transgredi nulla homo industria, aut ratione po-
test. Quod si quisquam Dei donum ac beneficium contemnens, aut vitam exosam habens, prius quam ad
finem sibi designatum adventet, det seipsum præcipitem, disrumpatve crapula & vino: prævidit quidem
huic talem Deus exitum, non præfinit autè, cum ipsum suo in consilio atque imperio voluntatis reliquerit,
Est itaque in singulis iam sua extrema dies, ad quam utique pervenire, nisi optima victus ratione, possint,
à Parcis ipsis præfixa: quam quidem ut præterire nemini ab illis est datum, sic etiam ut eam consequantur,
solis contingit illis, qui præceptis medicorum audientes, & temperantissime vivunt, & fovere vaporem il-
lum humorem, vitæ autorem, omnibus modis conantur: ad quam rem plurimum conferunt cum exquisitissimo
victu, exercitiisque modicis, etiam regio vel admodum temperata, vel ad frigus magis quam ad calorem
declinans. Pro variis siquidem ipsius cœli constitutionibus, constat hominum temperamenta, à deoque
ætates ipsas variari. Ethiopes quippe (id quod tradit ex Asclepiade Galenus lib. de philosophica hi-
storia) circa tricesimum annum senescunt, quod sub ardentissimo sole, eorum calor genuinus quam citissime
una cum subiecto humore evanescat. Angli verò Dani que, ob contrariam causam, ad vicesimum supra cen-
tesimum annum, nisi propria pereant intemperantia, solent vitam ipsam protrahere. At Hispani, ut sitis
sunt medij inter hos, sic vitam illis quidem longiorem, his autem longè brevioram sortiuntur. Inter omnes
porò temperies atque constitutiones ambientis, quas mihi experiri contigit, nullam hæcenus adeò propitiã
reperi tum hominibus, tum fructibus universis, atque est hæc qua perfruuntur Veneti: apud quos, fructus
quidem ipsi quamdiutissime incorrupti & succulenti servantur: homines autem, vegeti, floridique, raro
nisi extremo senio absumuntur. Id quod sanè est in causa, ut Venetiis passim tot senes, tam que reverendi,
cernantur. Romæ verò contrà, per pauci inveniuntur veri atque genuini cives sexagenarii. Quod si quis
exteri illud ætate ingravescentes consulant, intercipiuntur brevi: quod certè argumentum efficacissimè est, te,
Beatissime Pater, singulari modestia & temperantia tua, pervicisse malignitatem hyderis: quippe qui sensi-
bus universis integris, absolutissimisque, tam venerandam canitiem indeptus atque affectus fueris: ad
quam quidem nobis feliciter conservandam, producendamque in multa annorum curricula, quecumque de
tuenda valetudine Galenus Pergamentus conscripsit, ea omnia nuper instigatione Excellentissimi viri Ioan-
Aquilery, tui medici longè vigilantissimi, à me & castigata, & in enchiridion coacta, dicare Tue Beati-
tudini statui: sperans fore, ut hoc erga T. S. officium meum piis omnibus quam gratissimum esset, ac præci-
pue illustris, & reverendis. D. D. Francisco à Bovadilla & Mendoza Cardinali Cauriensi, Patrono-
que meo singulari: qui Beatitudinis Tue amantissimus, nihil tam habet in votis, quam ut eam diu CHRI-
STUS servet superstitem. Quare unice T. S. oro, Beatissime Pater, ut quemadmodum superioribus die-
bus periochen illam de victus & exercitij rationi à nobis oblatam, vultu hilari suscepisti, sic salutaris hos
commentarios, quos offerimus denuò, suscipias: exiguos quidem, sed ea imbutos eruditione & doctrina, quæ
possit mirè tuum oblectare animum, teque manus placidissima ducere ad extremum illud senectutis fasti-
gium, quod omnes cupimus, quodque prius quàm assequaris, tibi longum adhuc iter est conficiendum:
cum non dubitem quin, si Galeni institutis & documentis usus, pro solita etiam sapientia tua, constantia-
que, & animi magnitudine insuperabili, fausta omnia & adversa, breviter que universas humanarum
rerum

rerum vicissitudines, eodem animo tuleris, adhuc sis victurus nobis diutissime. Quod quidem Ecclesie largiri dignetur Deus Optimus Maximus. Vale. Venetijs. ex edibus illustrissimi D. D. Ioannis Furtadi à Mendoza. in hac Repub. Cesarei Oratoris longè dignissimi, quarto Idus Aprilis. M. D. XLVIII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI, D. D. NICOLAO VINCEIO, EPISCO.

PO BALNEOREGIENSI, AC S. D. N. P. III. DATA.

rio vigilantissimo, sapientissimoq; dirigitur liber De sanitate tuenda,
ad Pontificem maximum.

*I liber, & quam fers, domino impartire salutem,
Vivat ut admonitu tempora longa tuo.
Sis licet exiguus, tecum sed Nestoris annos,
Multaq; conciso corpore secla geris.
Verùm nenimum timidus videare, vel audax
Materie pecces utilitate tua:
Scis cui magnarum Paulus molimina rerum,
Eius ut arbitrio stentq; cadantq; dedit:
Qui sacras dispensat opes, qui ne quid ab ullo
Tentetur contra iusque piumq; caret:
Huic uni te crede liber: si duxerit intrò,
Et patrocínio iuverit ille suo,
Res tunc facta tibi fuerit, nihil amplius optes.
Sed propera ad sacros oscula ferre pedes.*